


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/


3 3433 00081982 5

PETRI AENICHII,

GYMN. THORVN. RECT. P. P. ET BIBLIOTHECARII

NOTITIA BIBLIOTHECAE THORVNENSIS

QVA

DE EIVS ORIGINE ET INCREMENTIS CODICIBVS MSSTIS ALIISQVE NOTATV DIGNIS,

NONNVLLA

BREVITER ET SVCCINCTE EXPONVNTVR.

ACCESSIT EIVSDEM

ORATIO

IN LAVDEM

B.

GODOFREDI KRIVESII.


ASTOR LIBRARY NEW-YORK

IENAE,

SVMTV IOH. PHILIPPI HAASII.

M DCC XXIII.

[redacted]



§. I.



SI qua fuit unquam aetas, ubi homines mutua aemulatione incensi, vel ad meliorem vitae cultum, vel ad scientiarum mysteria accuratius scrutanda curas & cogitationes contulerunt, haec sane, in qua vivimus, merito eam ob causam aestimanda est. Ei rei indicio sunt, tot in variis locis institutae eruditorum societates, tum publicae tum privatae, collegia Gelliana, literarum commercia, Ephemerides & colloquia Sapientum. Excitavit illud studium & eas quoque nationes, non ingenio *a*) sed vitae cul-

a) Non adeo possumus integris nationibus hanc denegare felicitatem. Singulari enim ac sapienti dispensatione DEVS sua distribuit bona, & saepe comperimus verum esse illud IUVENALIS:

Magnos saepe viros & magna exempla daturos
Vervecum patria crassoque sub aëre nasci.

omni itaque reiecta praesidentia mitius iudicium de iis ferendum est nationibus, quam olim de Germanis tulerunt Itali, qui Erasmum Germaniae ob solam ingenii felicitatem inviderunt, aut BOVHOVRS Pater Ignatianus, Gallus, cuius opprobria in Germanicam pariter & alias septentrionales nationes merito vindicavit vir erudirus. I. F. CRAMERVS, in *Vindiciis nominis germanici contra quosdam obtrectatores Gallos.*

tioris conſuetudine ante hoc tempus aliis deteriores, ut ad diſciplinas manſuetiores bonasque artes animum incipiant iam diligentius accommodare. Conatus Ruſſorum ignoti poſſunt eſſe nemini, ubi nunc mitius coelum fulget, & ingenia, excuſſa aſperitate antiqua, ad humanitatem formantur. Neque certe, ut videtur, eventu ſiniſtriori, cum, praeeunte literarum luce, ex tenebris, quorſum imperitia ipſos abjecerat, paulatim eluctantur. Multum ad ea omnia felicius exſequenda, adiuvante Sapientiſſimo Moldarum Principe, Cantemirio, conferet Academia & Societas Sapientum Petroburgi erigenda. Animadvertit ſine dubio illam fortunae melioris animorumque quandam commutationem Turcarum Imperator, quando conſimili inflammatus deſiderio, ſcholas in ipſa barbarie conſtituit aperire, ac literis in provinciis ſuis iuſtius iam pretium conſtituere tentat. Facile itaque fieri poteſt, advigilante inprimis divina Providentia, ut Scientiae veraeque religionis lumen in illis regionibus, illum, quo enituit antea, recuperet ſplendorem. Illud tum eſſet expectandum quodammodo, quod votis antea non potuit obtineri, cum a feritate revocarentur animi ad manſuetudinem, ac, data colloquendi de rebus fidei facultate, aut typis exſcribendi libros meliora ſuadentium admitterent commonefactiones. His forte ſubſidiis creſceret magis ſtudium & augeretur, quo iam excitatus dicitur, Sultanus, &, ut fama eſt in Turcicum funderentur Oracula ſacra ſermonem, aut Princeps heres cultiores inviſeret nationes. Illis enim olim, veluti alis ſubvectae emerſerant bonae artes, &, abſterſo veteri ſqualore, cum ipſa ſalutari religionis verae doctrina felicius effloruerunt. Nunquam autem fere tempus fuit, cum primum homines ſeſe optimis dederant literis, ut ſola inſtitutione viva animi exſatiari poſſe arbitrarentur. Ea propter ſapientum praecepta literis conſignari ſunt coepta, multa diligentia & fide cuſtodita, eaque, prouti etiam ſunt, velut optimi theſauri & animorum

medi-

medicina ad posteros transmissa. Neque sane infelici & intempestivo instituto. Ita enim sine magistris vivis disci potest, dum, uti Plinius notat, *animae defunctorum loquuntur* & dulcissimo pabulo doctrinae elegantioris cupidos delectant. *b*) Unde sunt ortae *bibliothecae*, ad quas condendas illos, qui potuerunt, interdum concitavit, aut laudabilis propagandae sapientiae amor, aut quoque cupiditas & ambitio inclarescendi. *c*) Perinde autem est, modo illa cautum est cura, ne perirent excelsi ingenii monumenta, nec aliis de esset occasio ex illis opibus proficiendi. Non instituti nostri est, veterum pariter & recentiorum bibliothecarum indagare origines, aut describere Cimelia, aut recensere & enarrare eorum laudes, qui vel iisdem colligendis operam dederunt, vel monitis & cura opulentiores ad eas constituendas incitarunt. Utriusque manet apud gratam posteritatem laus, illamque meritorum memoriam nulla

 unquam

b) Conveniens huic Pliniano est inscriptio, quae supra fores Bibliothecae Thorunensis visitur : *Vivum mortuorum consilium.* vid. alias inscriptiones Bibliothecar. in RUDOLPHI CAPELLI *Lection. memorabil. Syntagm. P. I.*

c) Non omnes eadem voluntatis inclinatione bibliothecas condunt, alii utilitatis suae pariter & publicae, ambitionis alii, alii suae in literas propensionis & amoris, alii obsequii & aemulationis causa. Ita quidam in societate literaria, quae Lugduni Gallorum floret, comparatione Francisci I. & Ludovici XIV. super institutum utriusque literarium facta pronunciasse legitur : *François I. a protegé les Sçavans par inclination.* Lovis *XIV par grandeur d'ame.* Magnis autem negotiis implicati viri, cum vix legere per temporis angustiam possunt libros, literatorum colloquiis saepius ad mensam adhibitorum cupiunt recreari, & iacturam sui temporis quodammodo resarcire. Hoc modo olim & hodierno seculo consuetudinem viguisse pluribus docet ESCHENBACHIUS *de Symposiis sapientum* p. 284. *Dissertat. Academ.* Neque ulla est aula Principum, quae tantos non habuit Maecenates.

unquam, quoad in pretio erunt bonae literae, oblivio poterit delere. Sunt autem *Bibliothecae*, praesertim *publicae* non modo rerumpublicarum Ornamentum ingens, sed & non leve subsidium provehendae omnis doctrinae liberalis, quam maxime necessarium & salutare, nostro speciatim tempore, ubi eruditorum fortunae non adeo lautae & amplae, librorum autem copia ferme infinita, cui comparandae non privatorum sufficient facultates. *d*)

§. II. Du-

d) Conferendae hic sunt collectiones Celeb. Doct. I. A. SCHMIDII, quas *Maderianis* adiecit: *Traité des plus belles bibliotheques & particulieres*, LVDOVICI IACOBI a S. CAROLO it. de Bibliothecis Italiae *Voyage d' Italie*, vid. *Act. Erudit. 1682.* p. 83. & IACOBI TOLLII *Insignia Itin. Ital.* Sunt praeterea plurimae aliae descriptiones non minus utiles, quam iucundae & elegantes, quas Viri clarissimi ac eruditionis laude praestantissimi sigillatim dederunt. Cujusmodi sunt, LEONH. SCHVRTZFLEISCHII notitia bibliothecae Vinariens. CHR. IVNCKERI Isenacens. IO. IAC. LEIBNITII Norimbergensis, BECMANI Francofurtanae, G. KRANZII, Vratislaviensis Elisabethanae (aliarum, quae ibidem magna cum urbis gloria florent, descriptionem invenimus in *nov. Hamburg.* A. 1703. p. 164.) Northusanae nuper delineationem dedit KINDERVATER, Ecclesiastes ibidem, novae Senatus Lipsiensis, GOTFR. CHRIST. GOETZIVS, urbis Praetor & Bibliothecarius A. 1711. Gedanensis olim B. SCHELGVIGIVS. Aliorum circa hoc argumentum operas collaudavit CHR. IVNCKERVS *in praefat.* ad Isenac. not. TENZELIVS *in colloq. menstr.* A. 1690. p. 1121. *Relat. innox.* A. 1703. PHILIPPVS LABBEVS in *Bibliotheca Bibliothecarum*, quam magno cumulo auxit Ant. TEISSIERIVS, Gallus, Genev 1686. Conf. etiam *Catalogus* eiusmodi scriptorum in der Neu eröffneten Bibliothec. circa finem Part. II. des Ritterplatzes, Interest maxime literati orbis, scire etiam ea, quae adhuc passim latent manu exarati codices nondumque editi, ex quibus amplior hauriri multarum rerum cognitio potest, plurima quoque praeter veritatem ab aliis allata corrigi & emendari. Quorsum pertinet PHIL. LAB-

§. II. Dudum itaque satisfacere desideriis illorum studuerunt Optimi maiores, quando ad templa olim plerumque bibliothecas condere laborarunt, vel addere scholis, quarum commodis

BEI BIBLIOTHECA MStorum, ALMELOWENII *bibliotheca latens & patens* & *accessiones* ad eandem RVDOLPHI MEELFVHRERI, REIMANNI recensio specialis Bibliothecae Vindobon. per Lambecium & Nesselium descriptae, qui in augusto hoc thesauro recensendo omnium facile operas & laudem potuerunt superare. Reserata quoque sunt eiusmodi arcana Vaticanae, per LEONEM ALLATIVM, Thomanae Lipsiensis, per PIPPINGIVM, per FELLERVM, Paulinae. Gothanae nuper per Theologum summum ERNESTVM SALOMON. CYPRIANI, per SPIZELIVM & REISERVM Augustanae, Oxoniensis per IAMESIVM & ANT. WOODIVM. Similia quaedam hic exhibuit ex Gallia DAN. MAICHELIVS in *introduct. ad Hist. lit.* de *praecipuis bibliothecis Parisiens.* Superest etiam Gudianorum MStorum, Thuanaeorum & Vossianorum Catalogus, horum in operibus PAVLLI COLOMESII circa finem a CL. FABRICIO editis reperitur. Neque minus in Austria eiusmodi cimelia latere docuerunt fratres PEZII ordinis Benedict. quorum catalogum videre licet in der umbständlichen Bücher Hist. IO. GOTTL. KRAVSE, p. 176. Plura videantur de aliis similibus apud OVDINVM in *Commentario* nuperrime edito. Sui quoque thesauri copiam, quem MStorum multitudo & raritas absolvit, quam minime invidere eruditis velit Reipublicae Francofurtanae ad Moenum senator, magnusque, si quisquam alius earum rerum aestimator, omni nostra laude major, doctrina meritisque in literas illustris ZACHARIAS CONRADVS *ab* VFFENBACH edito ab se non tantum *Catalogo* Halis a. 1720. *fol.* testatus est, sed & liberalem animum profitetur in epistola eidem praemissa. Facile autem ex his, quae ad *Orientalem literaturam*, ad *Codicem S. Jus Civile* & *Philosophiam* pertinent, iudicari potest, quantum orbis sibi literatus promittere possit ex aliis partibus, quae historicorum monumenta & alia pandere debent. Ad quod consilium feliciter ac propediem, uti per literas edocti sumus, exequendum, integram valetudinem & vires summo literarum Maecenati tanto apprecamur impensius, quanto benignio-

modis maxime, ita consuli posse existimabant. *e*) Longiorem enim hae aetatem polliceri videbantur, quam privatorum, quae saepius imo fere saepissime distrahuntur per heredes magna interdum cum literatorum iactura. *f*) Nostra hæc *Respublica Thoru-*

rem animum in nos saepius sumus experti & eximii Catalogi liberaliter transmissi munus laetiores semper, uti decet praedicamus. Eiusmodi *MStorum* usus facile contundit errorem aut inconsultum aliorum in hisce codicibus venerandis temeritatem, quam castigavit Celeberr. Lipsiens. Polyhistor IO. BVRCKHARD MENCKE in *Charlataneria Eruditorum* itemque CHR. AVG. HEVMANNVS V. CL. in *Parergis Crit.* aliique. Ceterum quinam thesauri passim MSti lateant, quidque inde sperandum sit, copiose explicavit OVDINVS in *Commentario* scriptorum Ecclesiast. iam collaudato.

e) Putarunt olim optime in templis, uti res sacrae, custodiri potuisse etiam bibliothecas ex collectis nummis locupletari facile, & ad eorum accommodare usum, qui tum temporis fere soli literis operam dare videbantur. Confer. quae summe Rev. Lubecensis Praesul, G. H. GOETZIVS ex Claudii Clementis libello de bibliothecis annotavit in *dissertatione epistolica ad Ambrosium Lehmannum Doebelensem de Bibliotheca Annaeberg. Nov. lit. Hamburg.* an. 1703. p. 448. Neque contemnendum est consilium, quod ante aliquot annos dedit I. C. GOCLENIVS in *Philobibl. S.* ut in unaquaque civitate ad templum, imo in pagis quoque bibliotheca conderetur, quae necessariam contineret supellectilem pro iis qui sacris operantur ibidem. Ea certe ratione multi non exiguis parcerent sumptibus, alii quoque, quorum non adeo est res lauta domi, ad sustentandam familiam, gravi levarentur cura tam liberaliter studiis invigilandi occasione suppeditata. Ita quasi publicae armorum essent officinae, quorsum confugere, urgente necessitate, possent.

f) Eleganter FRANCISCVS VAVASSOR Lib. de *Epigram.* Cap. XVI. *Scis Montauseri, scis ipse, quantopere nostri in Gallia proceres testamento caveant, tum heredibus ad perpetuitatem familiae & honorum, tum Bibliothecis, dic amabo, quid factum plerumque exiguo & brevi spatio, quid fit quotidie? quid fiet? Non sunt aliquando imminutae rarissimis & pretiosissimis libris? non ab heredibus & dominis transferant*

Thorunienſis hac in parte non infelicior aliis putanda, quae olim pariter atque nunc quoque habet rei librariae amatores erigendis augendisque bibliothecis intentos. Vixit autem circa initium ſeculi praeterlapſi hic HENRICVS STROBANDUS aevi ſui decus, exemplum futuri, *Prae-Conſul* ac plurimorum munerum ſplendore in Patria illuſtris. Quem omni jure *Solonem Thorunienſem* ac magna ſua laude nominaveris, virumque de omnibus Reipublicae partibus praeclariſſime meritum ac maxime amplificandis rei literariae commodis natum. Non ſufficere putabat ad urbis ornamenta ingentes aggeres, propugnacula, turres & domicilia magnis ſumptibus extructa, ſed etiam, non minus neceſſarium ad publicam ſalutem intelligebat eſſe, bonis legibus civitatem firmare, inſtitutis optimis civium animos ad virtutem inflectere & quod omnium maximum, ad poſterorum commoda iuventutis bene educandae rationem habere. Hoc ſi quisquam alius ſuo tempore, is ſane vir optimus ac longe prudentisſimus futurae ſalutis memor, ponderavit ſapienter. Id cum crebro & mature animo reputaret, non mirum ea, ſeculo fere quotidie in pejus ruente, excidiſſe verba, quae iam pro-

ad externos? Stant per ſeſe & corpus ut antea unum efficiunt? non diſcerptae dolo, vi fuerunt? non diſcerpentur membratim? Nec ut fluvii minores qui famae majoris in amnem influxerunt nomen amittent? nec tunc bibliothecas complures ſupplebunt? neque confuſae cum illis nullae erunt? Collaudat ibidem monachorum merita in ſcriptis antiquorum conſervandis ac bibliothecis cuſtodiendis. Integram hanc partem cum quibusdam annotationibus inſertam lege *Bibliothecae* Gr. FABRICII *Lib. III. c. 28.* p. 697. &c. Unde REX ANGLIAE ſereniſſ. eiusmodi damnum evitaturus Cottonianam bibliothecam ex *Weſtmünſter* non tantum domui Springgarden, quam coëmerat nuper demortuus ſecretarius natus Dn. de *Craggs* inferri juſſit, ſed & novo apparatu tum ex demortui ſupellectile, tum ex aliis locis aſportato locupletari egregio laudis exemplo curavit.

verbii instar apud posteritatem innotuerunt. *Fore* enim, consuevisse eum dicere accepimus, *tempus*, ut *Thorunium non tam egeat nummis & opibus, quam viris prudentibus revera & probis.* An vero haec illa sit fati malignitas, quae nos iam premit, aut brevi immineat, & viri sapientis animo praesagienti obversata est, non dicam, id tamen confitendum est, universam nunc Rempublicam diuturna calamitate conquassatam valde ac pene eversam esse, cui restituendae, ut par est, optamus, quo sufficiant praesentes, ac in posterum etiam sint & prudentes & firmi Atlantes? Haec dum intelligimus, non mirandum, id quod symboli loco habuit: *Mens, non merx*, adeo animo semper recoluisse, ut menti omnia tribuere videretur, ab eaque publicae fortunae rationes & administrationem maxime petendam esse censeret. Revera ita existimare est visus, iusto virtutis pretio incensus, cum alium observaret contrario studio inflatum, opibusque tantum non omnia tribuentem ac symboli loco diversum ab illo amplexum: *Merx non mens.* Observatu hoc dignum, nec sine attenta consideratione praetermittendum, primam Strobandi patriae adiuvandae curam fuisse rerum scholasticarum, Ecclesiae & Orphanorum, secus ac recentiori Seculo solet esse. Tam salutaris negotii fructum quendam, si, quae diligenter gessit & perfecit feliciter, interpretari reliqua velimus instituta, haud plane nos errare puto. Regia enim via ad meliorem itur fortuna, cum in limine Dei, rerumque divinarum non negligitur cura. Ut vero res Scholastica eo procederet felicius, variorum eruditorum, qui de *recte instituenda Schola* praeceperunt, consilia & monumenta recudi suo sumptu curavit, quorum *tomus* primus anno 1586. sequentibus vero annis duo alii prodierunt in lucem, sub titulo: *Institutiones Sturmianae*, quartus qui sequi debuit, aut alii forte, intra conatum substiterunt. *g)* Superse-

g) Propositum Strobandi cognosci potest, ex praefat. *Tom. II. Insti-*

perſedeo de his multum commemorare, quanto quidem eorum ſummam & quae comprehenduntur, recenſuit erudite MORHOFIVS *in Polyhiſt. L. II. c. 12.* Id tantum adjiciendum, Ioannem Sturmium multa veneratione & amore ab Henrico eſſe cultum, tum ob eruditionis, quae in illo erat, famam, tum propter dexteritatem, quam in eo Praeceptore ſuo Argentorati fuerat expertus. Notamus & hoc, conſilio Sturmii *Claſſes* X. diſcentium, *lectionum ſeriem docentiumque* munia eſſe dispertita, eademque omnia illi ordini, qui in Argentoratenſi olim floruit Gymnaſio, antequam in illuſtriorem devenit conditionem, plane & eleganter ideo reſpondiſſe. *b*)

tut. literar. circa *fin.* in praefat. autem Tomi I. ita: *gratiam confiteamur neceſſe eſt Henrico Strobando Conſuli & Scholarchae noſtro, qui, ut ille ait Plautinus, & caput, & manus, & mens fuit huic theſauro, ad utilitatem hominum publicando nervos & ſumptus ſuppeditans affatim. Nec dubium mihi eſt, hoc benignum & nobile ingeniis cum ſcholis, quas habet in deliciis, cumque hisce libris quos excudi curavit, ſempiternae gloriae commendatum, ac plurimorum praeconiis ornatum iri, bonorum & intelligentium hominum, atque eorum maxime, qui iucundiſſimos fructus horum operum ſtudioſius conſiderabunt.* Ita revera etiam evenit. Defecit quidem maſcula familia in nepote, nomen tamen fama & meritorum gloria ſuperſtes perpetuo & immortalis manet. Per errorem hic Strobandus apud d. BERNARDVM CONNOR in der Beſchreibung des Königreiches Pohlen p. 395. vocatur Heinricus Stuband, eius tamen viri merita ſimul cum aliis collaudat.

b) Praeter Catalogos Lectionum conſulendus MELCHIOR ADAMI in *vita Strobandi,* Praeceptoris ſui ſine dubio auctoritate impulſus, deinde faventiorem ſe Calvini ſententiis, quam Lutheri praeſtitit. De Sturmii certamine cum Pappo videri poteſt LEONH. HVTTERVS *in Concord. Conc.* Cap. 24. Hic Strobandus multos ad eccleſiam & ſcholam huc evocavit, Calvini magis partibus, quam Lutheri addictos, quod patet ex *Hartk. H. E. L. IV. 2.* & exemplo Vdalrici Schoberi Gymnaſ. Conrector. tum &, quae filius

§. III. Debet hic sua quoque fundamenta Strobandianae providentiae *restauratio Typographiae*, qua carere minime, si rei scholasticae dignitas sustinenda, poterant Musae. Neque cum haec nobilis ars jam per centum floruerat annos, pro Magis, eius periti, quemadmodum alii apud Parisios & alibi, primi auctores hic poterant haberi. *i*) Typographi ab illo tempore, qui hic praefuerunt ad nostra tempora sequentes sunt: *Stenzel Worffschauffel an. 1569. Melchior Nehring an. 1581. Andreas Cotenius 1592. Augustinus Ferber an. 1609. Henrichs Friese 1623. Franciscus Schnelholz 1624. Michael Karnall an. 1645. Ioannes Coepselius 1668. Iacobus Beck, Balthasar Bresler, Ioannes Conradus Ruger*, Ioan. Nicolai.

§. IV. Nondum acquievit liberalis Strobandi animus, sed ope aliorum Maecenatum exterorum iuxta ac domesticorum erexit domicilium, *Oeconomiae* nomine, quo exciperentur alumni aliquot pauperes, victuque necessario & doctrina ad publicum commodum sustentarentur. Inspeximus ipsi schedulas, manu viri optimi consignatas, ubi ad quatuor anni tempora ciborum

eiusdem nominis, itidemque consul, mente agitavit, perspexi ex epistola quadam, quae in manus meas incidit, perscripta a *M. Andr. Lucae*, Lusato Ecclesiaste Thorun. ad Christophorum Pelargum, Theologum Francofurtanum, qua ex mandato Strobandi, Pelargo commendat Constantinum Toxiten Ecclesiasten Thorun. Francofurtum petentem, rogatque, ut animum eius inflecteret, qui esset hic Lutheranorum acerrimus, (den gröbsten Lutheraner) daß er möglichen Fleiß nicht sparen wolle, ihn zu bekehren in orthodoxia. Die gantze Stadt hängt ihn an, und hat den applausum einmahl wegen der Aussprache und denn auch, daß er sich der orthodoxie anfänglich opponiret hat. Wird aber itzt moderatior.)

i) Lepidam hac de re vide historiam apud MAICHEL l. c. p. 78. ubi etiam observandum, iam anno 1470. tres Germanos typographiae artem Parisios traduxisse, ut ita laus illius inventae & propagatae artis omnino Germanis tribuenda videatur.

borum genera & vices Oeconomo praescripserat, contractusque formulam, qui eundem ad fidem & dexteritatem iuventuti praestandam obligavit. Tulit quoque leges, quibus docentis munus, iuvenumque obsequia describerentur. Ex quo sane apparet, quanta cura incubuerit Vir providentissimus ad auxilia undiquaque ferenda. Acciderant haec omnia fere circa annum CIↃ IↃ LXXXIV. *quo nova Gymnasii instauratio* publice est facta. Cujus quidem initia prima referenda sunt ad annum CIↃ IↃ LXVIII. ubi forma Scholae parochialis, quae ad aedem S. Ioannis fuerat, sublata in eum devenit statum, ut, aucto docentium numero & nomine, lectiones altioris momenti tractarentur. *Suprema* autem *Classis*, in quo juvenes academicis instituuntur lectionibus, illis X. quibus antea constiterat, accessit, Anno CIↃ IↃ XCIV. in nova Gymnasiii instauratione, eiusdem sine dubio Strobandi consilio & cura. *k*) Haec quidem ignota inter nos esse non possunt, minime tamen reticeri debent, cum ad gloriam memoriae Strobandianae pertinent, & exteros quoque docent, quanto beneficio patriam suam devinxerit Strobandus. Dici non potest, quam iucunda me recreat voluptate huius viri memoria, ut nunquam vel ponderandis meritis, vel venerandis cineribus satiari queam. Suppeditavit multa *Melchior Adami in vitis ICtorum*, quae ad eius ingenium, vitam, studia, mores & laudes pernoscendas pertinent, ubi genealogiam quoque Strobandianam quodammodo adumbratam legimus, quorsum B. L. iam ablegamus.

§. V. Invideret forte *bibliotheca l*) laudem aliis institu-

 tis,

k) HARTKOCH. *Lib. IV. 1-5. Hist. Eccles. Prut.*

l) Mentionem faciunt Bibliothecae Thorun. LOHMEIER Cap. X. de Bibliothecis in Borussia, STARAVOLSCIVS l. c. A. CELLARIVS *in descript. Pol.* p. 505, IAC. LVDOVICVS a S. CAROLO in *Traité de Bibliotheques* p. 233. Linguae Germanicae imperitia sine dubio factum, ut distinctas diversasque civitates idem esse putaret *Konigs-*

tis, nisi & haec suam originem deberet Strobando, de qua iam, uti constitutum nobis est, memoratu digniora quaedam sunt annotanda. Aditus quo tenditur ad illam, est in superiori collegii spatio, super fores inscriptio legitur: *Vivum mortuorum Consilium;* ipsius vero aedificii compages, fornicato conclavi & peristyliis superstructi, ob loci angustiam exporrigitur in longitudinem, fenestris, quibus lumen copiose mittitur, amplis omnino & ex utraque parte aequaliter dispositis, exornata. Armariola ab utroque latere justo ordine constituta, in medio viam, qua a limine ad supremam tenditur partem, pandunt. Classes quibus omnis supellex describitur, sunt XXV. unaquaeque autem repositoria complectitur pro argumenti dignitate aut ubertate, sex aut septem, interdum plura aut pauciora. Prima Classis continet libros *de Bibliotheca dirigenda, & de litteraria institutione.* II. complectitur *Grammaticos, Philologos, Lexicographos, Poëtas, &c.* III. *dialecticos, Rhetores, Oratores.* IV. *Philosophos, & Antiquarios.* V. *Mathematicos, Mechanicos.* VI. *Physicos, & Medicos.* VII. *Medicos & Chymicos.* VIII. *Ethicos, Oeconomicos.* IX. *Politicos.* X. *Chronologos & Historicos Generales.* XI. *Historicos speciales.* XII. *Historicos Polon. & Pruss.* XIII. *Historicos Eccles.* XIV. *Iure Consultos antiquos.* XV. *Iure Consultos, Interpretes, Comentatores, Constit. Consuet. variarum regionum & Civitatum.* XVI. *Juris Civilis Codices & disputationes.* XVII. *Iuris Pontificii interpretes.* XVIII. *Scholasticos, variarum religionum Theologos.* XIX. *Scholasticos alios & Pontificos Theologos* XX. *Theologos Polemicos.* XXI. *Theologos dogmaticos & Asceticos.*

XXII.

berg & Mont-royal, vulgairement Cunizberg p. 235. Nec infrequens huic fuit, adeo turpiter in Germanicis rebus labi & errare, quando quidem in *Bibliotheca Pontificia* Lib. II. fol. 455. *articulos Smalcaldicos* pro scriptore habuit, ita scribens: *Articulus Alsmalcaldus edidit librum de potestate Papae.* Plures alios *barbarismos* notavit Auctor des Neu eröffneten Musei p. 1057.

XXII. & XXIII. *Patres Graecos & Latinos.* XXIV. *Bibliorum Codices variarum linguarum.* XXV. *Libros Symbolicos & eorum interpretes Liturgicos & rituales.* Adſunt Codices multi proximis ſtatim annis ab artis Typographicae inventione exſcripti, quorum non minus aliquando eſt pretium atque ipſorum manu exaratorum, ubi videri farrago de his poteſt in CORNELII a BEVGHEM *Incunabulis Typographiae*, ſeu *Catalogo Librorum &c.* itemque *in* MATAIRE, Doctiſſimi Angli, *Annalibus Typographicis*, ab artis inventae origine ad annum usque 1500. Hagae Comitum 1719. in 4to. edit. LABBEI *Catalog. Librorum* qui ante 1500. impreſſi. CASIMIRI OVDINI *Commentario de ſcriptoribus Eccleſiae antiquis* nuperrime *edito Tom. III. Sec. XV. Cap. 5. p. 2754.* quorſum pertinet etiam noſſe Typographorum celebrium *Symbola Iconica* eorumque officinas; unde vero haec notitia hauriri poteſt, indicavit quodammodo Vir celeber. FABRICIVS *in Supplem. III. Bibl. Lat. p. 890. &c.* Non ingratum erit paucos recenſere eiusmodi Codices, quos non ubique deprehendimus obvios, ſunt autem:

Chronicon, ſive Epitome dierum de mundi fabrica fol. idem germanice ſub titulo: kurtze Beſchreibung des Wercks der ſechs Tage vom Geſchöff der Welt. 1493.

Eſt hoc opus Hartmanni Schedelii, Medici Norimb.

Citavit PET. MEGERLINVS *in appendice ad Theatrum regim. divini. p. 113.* aliam editionem 1491. quae forte illa erit in forma octava.

Triplex Speculum Vincentii Bellovacenſis.

Cornucopiae Perotti Venet. 1494.

Tinctoris Commentarii ſuper Petro Hiſpano Tubing. 1486.

Vocabularius breviloquus diphtongandi, punctandi, & accentuandi. Baſil. 1486.

Chriſtophorus Londinus in Vergil. Reitling. 1492.

Avicennae opera fol. Venet. 1490.

Celſi

Celsi Opera ibidem 1497.

Institutiones Iustinianeae cum animadversionibus Iohannis Chappier. Parisiis 1499.

Casus Longi Bernhardi super decret. Argent. 1496.

Summa Angelica Angeli Spirae 1488.

Nicolai de Ausmo Opus super Canon. Norimb. 1475.

Gratiani Decretum cum variis scribentium glossis Lugd. 1560. fol.

Euclides s. Opus Elementor. in XV. libros divisum cum Campani Commentario & praefatione Erhardi Ratdolt August. itemque fig. Venet. per eundem Ratdoldum 1482. (*quae editio sine dubio prima est, non vero allegavit eam cl. Fabricius in Bibl. Gr.*)

Margarita Decreti S. Lexicon Theol. Fr. Martini Argent. 1486.

Diaeta Salutis s. Sermones applicabiles de criminibus & vitiis hominum, impressi Colon. per Magistrum Ioannem Colhoff. a. 1474.

Ioh. Gersonis Opera 1488.

Guiel. Durandi Specolum offic. ration. Norimb. 1479.

Lyrae Repertorium in Postillam super Vet. & N. Test. Norimb. 1494.

Biblia cum Concordant. Vet. & N. Test. Argent. 1491.

Biblia Bohemica Venet. cum fig. 1506. f.

Biblia in niedersächsischer Sprache, cuius initium & finis deficit fol. Moy ita incipit: hier heuet an Genes. das ys dat Bock der Telinge. Dat erste Bock Moysi, dat erste Capitel sicht von der Schöppinge der Welt und allrr Creaturen und der Wercke der ses Taghe.

Biblia Latina 1497.

Psalterium Lat. & germ. in fine extat Psalterium cum apparatu vulgari pro more barbarico translatum Argent. impressum per honestum virum Ioan. Knoblauch CIↃ CCCCC VIII. Multa alia Scholasticorum scripta illis temporibus primis post

in-

inventum artis typographicae donum impressa. Referenda etiam huc sunt varia Beati Lutheri Scripta avtographa, editiones scil. primae, partim proximae illis annis earum meditationum & laborum, qui eius opera prodiderunt. Huiusmodi talia etiam pro cimilio quodam habet Guelpherbytana Bibliotheca, uti videre est, ex praefat. Viri celeberrimi HERMANNI von der *Hardt* ad *avtographa Luther. Tom. III.* Sunt autem hic

Biblia Lutheri german. fol. sine anno

Alia editio in qua *Familiae Strobandianae* genealogia ad scripsit *Christianus Strobandus* anno 1482. natus patre Ioanne Strobando, qui Francofurti antea havitaverat.

Prophetae ex versione Lutheri 1532. fol.

Nov. Test. ex eiusdem Versione 1531. Augspurg durch Henrich Steyner.

Psalterium Davidis cum Hymnis editum 1517. adscripta invenitur germanica Versio B. Lutheri. itemque in pagellis anterioribus Canticum descriptum: O Mensch bewyne dyne Sünde groß rc. Scriptio pariter & voces antiquitatem ostendunt. Porro additus MStus Hymnus Ambrosianus, in honorem B. Virginis Mariae innexus, plura alia quoque prostant, quae proximis annis ab reformatione doctrinae divinioris prodierunt, quibus recensendis iam non immoramur.

Manu exarati Codices inveniuntur sequentes; plurimique chartis pergamis inscripti.

I. Institutiones Generales Ff. minorum de rebus Ecclesiasticis variorum Capitulorum Brunsuigae, Berolinae, Erfordiae, Halberstadii de anno 1436. 1437. primae sunt datae per Mathiam Doctorem. Addita quoque Bulla Clementis Pontif. Viennae data fratrum Minorum, Anno Pontificatus Septimo *Membr.*

II. *Liber physicus.*

III. Dialectica & Physica.

IV. Huycionis vocabularium lat. *membr.* index est vocabulorum lat. ubi flexiones verborum pariter & usus, itemque syntactica structura ex bonis auctoribus collecta apparet, neque rudis latini sermonis auctor fuisse videtur.

V. *Glossa* super Aristotelis librum physicum de anima & coelo scripta a Tilemanno, *membr.*

VI. Iuvenalis scriptus anno 1460. *nitido charactere.*

VII. Isidori Etymologiarum libri omnes. *fol.*

VIII. *Aeneae Sylvii* materiae variae, quarum iam nonnullae editae sed immixtae etiam sunt:

a) *Epistolae tres*, quae neque in editione Epistolarum 1496. neque in altera inveniuntur inter Aeneae & eius aequalium, quarum alioqui non exiguus est numerus. Ita

Prima est *Ant. Piccolominei* ad *Adrianum & Tadaeum* FF. Religiosos, ubi conqueritur, quod non scribant & respondeant, num a sanctitate & religione, quam affectant hoc opus esset alienum, Scripta ex Bohemia.

Secunda Casparis Schlick Cancell. Imp. ad Rev. Dom. *Ioannem Carvaial*, (Carnay) *in praeced. est Carnail*, sed in typis exscriptis Codicibus invenitur Carvaial; conqueritur de Ecclesiae statu, diaetam mox habendam refert, res Boh. & Ung. esse innovatas, de rebus Frising. & de Fratre Germano per Basilienses minas inferri, quare armis adversus illos opus esse.

Tertia Epistola Consolatoria *Aeneae Sylvii* ad Ioannem Frunth de mortua eius uxore, initium sic habet: *Ioh. Secretarius Norimb. Vir bonus doctusque & tui observantissimus ad nos iam reversus ait, te moestum reliquisse &c.*

b) *Ambrosii Fratris* orti de Moravia ord. S. Augustini poëtae laureati, Regis Franciae, qua continetur epistola, quomodo rex Poloniae est captus dum pugnabat cum Turcis anno 1444.

c) *Prae-*

c) *Praecepta artis oratoriae* & regulae de differentiis verborum.

d) *Epistola* ostendens, *quam periculosum sit sacerdotibus cum mulieribus conversari, & multiplicem nequitiam mulieris describens.*

e) Tractatus *de amore* in fine extat, EXPLICIT *Summa Gualtieri de amore* anno 1437.

f) *Epistolae* aliae *de amore ad viduam, amasie, ad domini cellam amasiam &c.*

g) Liber *Senecae de moribus.* Epistolae *Senecae ad Paulum, Pauli ad Senecam.*

h) Liber Senecæ de *remediis fortunæ.* Satyra. Comoediae de *Sigillo & Cera.*

i) Ieronymi *Chronica,* quam ipse contexuit, incipit a 916. per annos progreditur, ubi ad historiam Polon. & Bohem. varia commemorantur usque ad annum 1320.

k) S. Hieronymi *de captivo Monacho historia*

l) *Oratio* ad venerabilem virum per *studentes* facta, pro *subsidio collegii pauperum*

m) Epistola missiva a Turcis S. Pontifici.

n) Pet. Pauli Vergerii de *Constantinopoli* ad generosum adolescentem Ubertum Ferrariensem, *de ingenuis moribus & liberalibus studiis.* Continet *rationem tractandi studia ab nobili adolescente.*

o) Rhetoricae pars, qua de *conscribendis epistolis* agitur.

p) *Bulla* Pii II. Pontif. data 1465. contra Georgium Regem Bohem.

q) *Literae universales ludicrae* scil. Luciferi infernalium principis regionum inextinguibilis gehennae ignis, ut & profundi Acherontis imperatoris & dominii &c.

Multa *Aeneae Sylvii* manu tantum exarata adhuc extare POSSEVINUS *in Apparatu* tum & LAMBECIUS *Lib. II. Commentar. Bibl. Vindobon. testantur.* Ex MSto *Brisaci* in eius oppu-

gnatione invento demum 1685. cum annotat. *Io. Henrici Boecleri* prodiit *Historia rerum Friderici III. Imperat.* Argent. fol.

IX. Vocabularius Fr. Martini Pateni.

X. Aristotelis *Logica.*

XI. Eiusd. quaedam opera. *membr.*

XII. Alexandri super XII. Lib. Metaph. & morum *membr.*

XIII. Liber Topicorum Aristotel.

XIV. Topicorum & Elench. *Lib. membr.*

XV. Commentar. in *Aristotel. Logic. Phys. &c.*

XVI. Informatorium *morum.*

XVII. Quaestiones de *anima.*

XVIII. Ethica.

F neris


neris ratione soleat esse alter quoque Scholarcha & civitatis Consul Vir Nobilissimus, Iacobus Henricus Zernecke, ita nec dissimili mente ac conatu rei literariae promovendae studium adiungit suum, egregiaque illorum pariter & aliorum benefactorum virtute salutare negotium procedit.

§. V. Primi illi auctores, qui in colligendis hisce thesauris, laudabilem suam posuerunt operam, sine dubio publicis commodis hos quoque voluerunt consecratos. Neque alia, uti putamus, unquam eorum fuit mens, qui in loca dignitates & fructum virtutis & gloriae successerunt. Aditus itaque patuit omnibus ad hoc usque tempus sive exteris sive indigenis, ususque permittitur liber prorsus, ut communem eam omnium literatorum vocare supellectilem iure possis. Aliter sane ac suam olim fecit Simplicius Monachus, quem ideo *Isidorus Pelusiota L. I. Epist. 127.* in hunc modum obiurgat: *Plurimos libros, ut audio, emisti, atque opinione locuples es, eorum lectionem ignorans, atque idem faciens quod ii, qui frumentum comprimunt, ac tineas alunt: Nam libri quoque tinearum patres & nutritii fiunt, cum vinciuntur. quare aut opibus tuis utere, aut ingentem eruditionem ne laede. Nimirum hic quoque comicos sales colligens, dum librorum corruptor, aut librorum sepulchrum aut tinearum altor appellaris &c.* Plura alia argute dicta in eiusmodi Bibliothaphos ac literarios polypos collegit Vir literatissimus Ecclesiastes Regiom. fautorque noster plurimum aestimandus M. LILIENTHAL *in Select. Hist. & liter. Part. I. Observat. VII.* *itemque* GVILIELMVS SALDENVS *de usu & abusu librorum L. II. 4.* bene & sapienter, unde immitis illa invidorum, illiberaliumque mentium consuetudo f. morositas potius, oriatur, quamque foedum sit occultandi libros vitium hi viri doctissimi locis allegatis expenderunt. Liberales sunt artes, quas tractamus, illaeque per se commune ac grave afferunt vinculum, eos-

que

que familiaritate iucundiſſima devinciunt; qui illarum amore tenentur iisdemque ſtudiis delectantur, quidni & ſuppellex & apparatus commune eſſe bonum debet? Neque igitur ulla ratione & hic, uti etiam nunquam factum ſcio, invidentur deliciae ullius commodo, quae communi uſui a providentiſſimis Patribus olim ſunt deſtinatae. Quin potius omni humanitate recluditur ſacrarium, invitanturque, quotquot ex his fontibus petere copiam cupiunt & in ſuos uſus derivare. Quo vero amplior adſit occaſio, praeſertim iuventuti ſtudioſae, proficiendi ex his theſauris, ac pleniori hauſtu ſatiandi animos, non deerit Magnificus Senatus & aliud quoque tempus ac certas per hebdomadam horas Philo-Muſis deſtinare. Ceterum oramus Deum, ut decus civitatis & literarum conſervare perpetuo feliciſſimoque ſemper ſucceſſu augere quam benigniſſime velit.

S. D. G.



qua, qui movetur, fructum iam sentit possidetque foenus. Multarum quidem rerum pulchritudines descripsit Crusazius, doctrina & ingenio clarissimus Gallus, at, quo pondere verborum & accuratione virtutis elegantias delinearet, nondum invenisse videtur. Ipsa enim iam eius possessio pulchra iucundaque est, ac multa suavitate animum, in quo residet, perfundit. Atque frustra plane, ut mihi quidem videtur, eius fructum quaerit, qui mentem non habet liberalem & ad virtutem propensam. Neque melius patere potest, quale & quantum sit munificentiae foenus, quam si sordidi cuiusquam, tenacis ac cupiditate sua laborantis conditionem intuemur. Angitur ille intimis sensibus, excruciatur ac torquetur plurimarum rerum cura, vexaturque metu vel amittendi acquisita vel non satis habendi, inops plane omnis voluptatis animi, sine qua esse felicitas nulla potest. Quam omnino perpetuam dixeris poenam, teste sapientissimo Stoico, Seneca, qua misere affligitur is, qui omnium rerum se egere putat, nihilque possidere. Extra dubium haec & quotidie evenire solent ac pervulgata esse incommoda, tamen declarare, nisi me omnia fallunt, arbitror, liberalis animi maximum hoc esse foenus, ingentemque fructum, nullo pretio comparandum, illa solicitudine, homine honesto prorsus indigna, non discruciari, angi, vexari. Sed suavius quid & post mortem quoque duraturum est foenus, ex piis Legatis oriundum, quod iam praetereundum non venit. Occurrit spirans illa & vivida Maecenatum memoria, gratae posteritatis cura tam sancte custodita. Sed videor mihi audire nonnullorum voces, obvertentium, nullius rei sensu demortuum amplius tangi: in morte miserum fieri neminem: perinde esse, quidquid post fata sive boni, sive mali loquantur superstites: Sapientiae notam esse, Cynicum agere, ac nulla eorum affligi cura & solicitudine, quae post mortem gerantur. Vsque adeo invaluit procacissimorum ingeniorum temeritas, ut iam grave ipsis esse debeat, rationi operam dare, facile autem ac in proclivi eius vim extirpare. Indignarine hisce

homi-

quo anno ſeculi ſuperioris triceſimo nono, imminentibus fatis, ac quarto ante, quam expiraret, die heredes teſtamento ſcripſit vir optimus, amore ac religionis ſocietate magis ſibi, quam ſanguinis cognatione aliqua coniunctos: quanquam nec horum, ut decebat, erat immemor, quotquot ſciebat propinquos in familia ſuperſtites, ſed, lauta hereditatis parte conſtituta, ſui memoriam ac benevolentiae ipſis commendabat. Lubeca, copioſiſſima inferioris Saxoniae civitate, ubi patre negotiatore erat natus, Poſnaniam, in Polonia maiori ſitam, ex hoc vero loco, moderante ſic Numine ac tum ſapienter multorum ſaluti proſpiciente, Thorunium venit. Florem hunc olim non incelebris ex hoc loco Orator appellavit, eumque talem, qualem hoc clima nec unquam vidit, nec, ut nunc ſunt tempora, vix viſurum eſt unquam. Radices hic egiſſe ita dicitur, & in platanum abiiſſe, ſub cuius umbra Eccleſia Schola & miſerabiles perſonae poſſent hoſpitari. Nec aliter revera eſſe experientia ad hanc usque diem, eventu tam egregii ominis minime nos fallente, docet. Peropportunum & erectum Beato contigerat ingenium, quod, cum locupletiſſimo opum cumulo abundaret, ſanctiſſimi memor moniti, non parce, ſed cumulate largiebatur. Reſpondebat liberalitas facultatibus, liberalitati animus, animo itidem perauſpicatus, qui ſequebatur, propoſiti eventus. Non tamen illiberalem aut indignum laude putamus, qui tantundem non largitur, quantum is, qui abundantius pro copia rei familiaris poteſt. Sed munificentiae naturam ponere Sapientes audimur in benefaciendi voluntate, quae vel ipſo beneficio interdum maior eſt & eius, quo excitatur quaſi fermentum. Unde non levior debetur gratia Altenhoffiis, Mochingeris, Hendrichiis, Czimmermannis, Brückmannis aliisque, qui vel ſuo liberalitatis exemplo Kriveſium inflammarunt, vel veſtigia eius proſecuti, pro facultatum ſuarum conditione, excelſo tamen

animo cum immortali virtutis suae fama saluti fortunaeque egenorum ac liberalium hominum consuluerunt. Aequum nunc est, reddere tam foecundae bonitati honorem, ac persolvere officium, quod in certamen pietatis gratos cives & alumnos vocat. Sed vereor, ne dum has tueri partes pia mente gestio, eveniat mihi, quod antea laudatus orator *a*) simile argumentum tractaturus olim pronunciavit: Quodsi tractanda sibi Krivesii aliorumque Evergetarum elogia sumere quis velit, ne nihil dicat, oportere illum, ut mutus sit. Neque minus etiam de tenuitate mea dicendi diffido, ut, quando & Vobis, Patroni, tam pro conservatis a vestris Maioribus institutis beneficiis, quam & pro accessionibus nonnullis restitutis gratiae sunt decernendae, parum compte & digne exequi videar hoc observantiae munus. Sed in cumulo versor beneficiorum, vultusque intueor Maecenatum, quorum semper est & fuit proprium, inopiam non fortunae magis, quam ingenii sublevare. Antiquum fuit, quod alii dederunt beneficium, Auditores, recentius vestrum in hoc erit, cum benignas mihi praebeatis aures, &, quae de *foenore piorum Legatorum* breviter strictimque sum picturus, benevola mente accipiatis, vestroque benignae Voluntatis suffragio comprobetis.

Non inanes aut corruptae segetes sunt pia legata, sed laetae & foecundae, multaque ubertate refundunt, quod in se magnum & excellens continere videntur. Parum hoc sibi persuadere potest, futuri boni fiducia inops, &, qui sensu praesentium quasi siccus, omne sterilescens, quicquid erogandum est, ineptissime arbitratur. Notabili notione eiusmodi beneficium, sublevandis aliis tributum, in libro, qui Tobiae vulgo inscribitur, θέμα appellatur, quod quandam designat pecuniae vim, cum magno fructu repetendam, seu quae foenori datur Deo, uti quoque in vulgata legimus versione redditam hanc esse for-

mulam

mulam loquendi. Sortem igitur esse pia legata nunquam sine fructu amplissimo ac gravi foenore compensandam, quis sapientum, quis piorum unquam dubitavit? At si quaeritis, a quale & ubi hoc deprehendatur? Dicam pace vestra aliquantum pressius. Si dixero, necessitate quadam compelli probos ad haec instituta pietatis, ne sermone tantum, sed & ope, consilioque calamitate afflictos complecti videantur: Si dixero, principem obsequii, quod Deo approbandum, esse hanc partem, ut erogent, quae tributa a Deo sunt ac mutuo tantum data: ut concedant iis, quos Herus ablegavit hospites nostra liberalitate reficiendos, atque sub se tanquam capite coniunctos amore & mutui auxilii nexu copulatos esse cupit: Si dixero, non flagitii crimine esse absolvendum eum, qui, quem potest, non adiuvat miserum, egenum & opis indigentem. Si dixero haec, A. puto iam grave quoddam & largissimum foenus a me indicari, ad liberale ingenium redundaturum, propterea quod ita voluntati & mandato Dei est satisfactum, qui nunquam se patitur vinci benefaciendo. Sed multo est amplior ubertas, quae longe lateque diffunditur, neque ad dantem duntaxat, sed & accipientes & alios cumulatissime derivatur. Ac primo quidem, quod ad Datorem pertinet, plus eum accipere videmus, quam erogat, cum summi loco foenoris habere potest illam, quae sequitur omnino, gratiam Dei. Non humana virtus habetur, benefacere aliis, sed divina. Naturae enim divinae proprium est largiri, dare, opitulari, hoc, qui facere laborat, & revera facit, aemulatur divinitatem. Nostris viribus maiorem putamus, cui supplicamus aut cuius auxilium imploramus. Hoc ipso autem se nobis probat esse Deum, cum prompto animo ac benigna iuvandi voluntate largitur, quicquid opus. Calamitates aliorum quicunque audit & miseratur, humani quidpiam facit, atque homini tam nihilo plus est, quam, homo. Idem vero, si beneficam liberalemque iacenti porrigit manum, sane, si unquam alias, tunc homo homini

fit

sit Deus. Qui simili lineamentorum convenientia Parentis formam referunt liberi, multo plus ab eo, quam alios utplurimum credimus amari diligique. Maiori in pretio filios apud Indos haberi ferunt, qui paternis insistunt vestigiis, eandemque, quam exercet Pater, artem profitentur. Quo magis igitur quis Deum amat, hoc promtiori mente, Dei amore informata, conferre in eos consuevit, quos novit in pretio apud Deum haberi. Quem alterius commendamus benevolentiae, utique non prosequimur odio, ac, quicquid tribuitur, rependere pollicemur, non alia de causa, quam quod gratum fuit & praestitum nostra deprecatione. Ad compensandum non semel se Deus obstrinxit omne, quod datur iis, quos nostrae voluit commendare bonitati. *b*) Probari itaque benefacta in coelis, quis neget? Amari a Deo, custodiri & adiuvari divinitatis aemulos, ac benignas mentes, quis non videt? Non aestimari ac magno in pretio haberi tantum, sed largissima copia quoque reddi, quicquid conceditur omnia habenti, Deo, quis dubitat? Quodsi vero dicerem, hisce beneficiis elui posse crimina & noxas, demerendae saluti ea esse idonea, nimis alte & liberaliter de illis sentirem, ac, quicquid gratiae tantum convenit divinae, tribuerem praeter sacram auctoritatem humano robori & bonitati. Neque tamen nulla est usura, & commodum, quod promittitur beneficae voluntati. Orphanorum, viduarum, peregrinorum, coetus divinioris & Scholarum iura eadem vulgo putantur, haec autem, qui convellit, pro sacrilego habetur. Qui oppugnat, gravi se obstringere crimine ubique, quotquot honestatis sensus tangit, est visus. Qui labefactat temere & deterit pravae mentis iudicio corruptus, certissimae reus esse dicitur poenae, quam in sacro codice legimus identidem Deum esse comminatum. Hinc tantae irae, qua exarsisse iuste dicitur, gravitas severitasque puniendi: hinc tot vibrata contra immites illos sententiarum fulmina, illaque ulciscendi hoc scelus, hanc improbam rapiendi corradendique cupiditatem exaggerata atrocitas & cura.

Illius

Illius rei indicia quam manifestissima bellorũ deprehendimus esse calamitates, vexationes populorum, truculentas exactiones, latrocinia, direptiones & incendia, quibus absumitur perditurque plerumque id, quod vel iure non dabatur aliis, vel iniusta vi ablatum detractumque erat. *c*) O quam misera tum reipublicae facies, ubi iniuriarum causae nascuntur, cum iura nasci oporteret. Quibus rebus evenit sane saepius, quod a magno doctore legimus pronunciatum sapientissime, ut ab rapace auferatur milite, excutiaturque impetu quamplurimum, quicquid vel fraude vel vi ereptum detractumque piorum hospitiis, Ecclesiis videlicet & Scholis. *d*) Averti autem illa quodammodo luctuosa mala posse benefaciendo, quis non videt, cum ea provocari audimus malefaciendo? Ne quid dicam de bonis maximis, quibus cumulandae sunt regiones, urbes, domus, corpora & animi, quando tecti fretique divina gratia homines, non rapaces extendunt manus ad res alienas, sed ad elargiendum potius auxiliatrices. Luculentum hoc est commodum, quod nascitur inde & commune, ac tam certo eventurum, quam minime fallit Deus ipse, qui veritas est, ac certissimae eius promissiones undiquaque deprehenduntur. Apparet quoque alius beneficiorum fructus, cum contemplamur animo, munificentiam inter virtutes ab sapientibus rectissime numerari. Non inelegans illa & ab ingenii acumine aliena Gelliana disceptatio, quando de Peregrino, prisci aevi quodam Sapiente refertur, affirmante, virtutem sibi ipsi praemium, nec aliunde quid, unde pretium constaret, esse expectandum. Quinimo contendisse multo opere idem videtur, ut persuadeat, etiamsi Dii & homines ignorarent, quid fieret boni in virtute, fructu tamen ex se ipsa prodituro non carere. Quod ipsum, quum verum sit, quantamque & quam facilem praebeat occasionem sententiis parum sobriis invehendis ac paulatim defendendis nunc, cum instituti ratio alia postulet, non examinandum venit. Id vero vel optimo iure a me posse affirmari arbitror, virtutem omnino sua enitescere pulchritudine suaque se omnibus commendare dignitate,

 qua,

qua, qui movetur, fructum iam sentit possidetque foenus. Multarum quidem rerum pulchritudines descripsit Crusazius, doctrina & ingenio clarissimus Gallus, at, quo pondere verborum & accuratione virtutis elegantias delinearet, nondum invenisse videtur. Ipsa enim iam eius possessio pulchra iucundaque est, ac multa suavitate animum, in quo residet, perfundit. Atque frustra plane, ut mihi quidem videtur, eius fructum quaerit, qui mentem non habet liberalem & ad virtutem propensam. Neque melius patere potest, quale & quantum sit munificentiae foenus, quam si sordidi cuiusquam, tenacis ac cupiditate sua laborantis conditionem intuemur. Angitur ille intimis sensibus, excruciatur ac torquetur plurimarum rerum cura, vexaturque metu vel amittendi acquisita vel non satis habendi, inops plane omnis voluptatis animi, sine qua esse felicitas nulla potest. Quam omnino perpetuam dixeris poenam, teste sapientissimo Stoico, Seneca, qua misere affligitur is, qui omnium rerum se egere putat, nihilque possidere. Extra dubium haec & quotidie evenire solent ac pervulgata esse incommoda, tamen declarare, nisi me omnia fallunt, arbitror, liberalis animi maximum hoc esse foenus, ingentemque fructum, nullo pretio comparandum, illa solicitudine, homine honesto prorsus indigna, non discruciari, angi, vexari. Sed suavius quid & post mortem quoque duraturum est foenus, ex piis Legatis oriundum, quod iam praetereundum non venit. Occurrit spirans illa & vivida Maecenatum memoria, gratae posteritatis cura tam sancte custodita. Sed videor mihi audire nonnullorum voces, obvertentium, nullius rei sensu demortuum amplius tangi: in morte miserum fieri neminem: perinde esse, quidquid post fata sive boni, sive mali loquantur superstites: Sapientiae notam esse, Cynicum agere, ac nulla eorum affligi cura & solicitudine, quae post mortem gerantur. Vsque adeo invaluit procacissimorum ingeniorum temeritas, ut iam grave ipsis esse debeat, rationi operam dare, facile autem ac in proclivi eius vim extirpare. Indignarine hisce

homi-

hominibus debeamus magis, nescio, an praeposterum eorum incuriam aut potius vesaniam commiserari? Abesse quidem hic debet vanitas omnis, tumor, ambitio & opinio inanis famae, cuius gratia tantum, si moliri quis grandia & magnifica velit, tam errat vehementer, ac qui parum laudabile conatur. At vero nihil agere velle, quod prosit posteritati, aut serviat saltim famae, qua se in numero hominum fuisse testetur, inertis indicium est. Non enim nobis esse nos natos, quis nescit, sed partem aliquam, dictante Tullio, sibi vindicare patriam, partem amicos, partem opis nostrae indigentes. Communi mortalium commodo obvios nos esse voluit immortale Numen ac paratos, ut iuvandi ardor indeses & propensio praesto sit ubique & liberali tum animo tum vultu non torvo omnes complectamur. Deo autem inprimis hoc modo satisfaciendum est, dum vivimus, dum possumus, dum valemus. Id quod vero tum efficitur maxime, & amplificandae gloriae Numinis, cui omnia serviunt, prodest, cum non deserta communi societatis salute ad opitulandum properamus. Fidi huius tam solertis & egregii operis ministri sunt mortales grati & beneficiorum non immemores, quamdiu sunt & vivunt. Sive iam in vivis adhuc supersis, sive excesseris iam, iubentibus fatis, grata tamen recordatione beneficium celebratur, quamdiu inter homines constat. Ergo benefaciendum est ex mandato divino ac lege humanitatis urgente, elogia vero ac perpetuae commendationes, utut non quaerantur ambitiose, sequantur necesse est. Infames multi etiam post mortem manent improbi & variarum nequitiarum artifices peccandoque nocent posteritati, cur adeo timetur obliterari Maecenatum fama, qui continuando prosunt? Non sane expiraro potest unquam memoria aut involvi silentio potest, quorum luculenta sunt merita in sacrum coetum, in bonarum mentium officinas, in patriam, in egenos, quorum quotidianis sermonibus praedicatur, dum perpetuo usu beneficium illustratur. Quo vero magis praestat animus corpore, hoc illustriora sunt legata,

 gata,

gata, quae ad erudiendas mentes, & doctrinae subsidiis imbuendas pertinent. Devincire sibi Deum num quis magis posse putat, quam si, suppeditatis alimentis, discipulos Christi facit? Cum occasionem praebet & praesidia, quibus duci ad pietatem & honestam vivendi conditionem possunt. Num patria tam egregii Maecenatis poterit oblivisci, cuius sumptu & liberali cura probos acquirit cives, instructos omni scientiarum genere habet alumnos, qui ad utilitatem publicam commodaque universae societatis promovenda mature praeparantur. Duplici igitur honore digni sunt, qui non tantum in vita operam suam Reipublicae commodarunt, sed & ne mortem quidem terminum statuerunt meritorum suorum, ac post fata quoque, quo erga patriam fuerint animo, declarant undiquaque & testantur. Quamobrem utut corpore excesserunt e mortalium numero & societate, meritis tamen, beneficiis ac mente praesentes reputantur, ac, ne fama tam salutaris studii pereat, testimoniis gratorum alitur & sustentatur, ut in de uberrimū copiosissimumque munificentiae foenus perpetuo evirescere videatur. Quod si vero respiciamus ad accipientis conditionem, ne in hoc quidem Legatorum beneficium suo foenore caret, quod iam pace vestra, A. O. enarrandum erit. Sine dubio pia instituuntur legata afferendi alicuius subsidii causa, quo fulcienda vel paupertas egenorum vel labor & opera eorum, qui patriae commodis amplificandis incumbunt. Quicquid deinde boni ex illorum venit assiduitate, aut, quae hoc modo acuitur, contendendi alacritate, foenus est, quod forte non extitisset, si Legatorum subsidio vis & ardor laborantium non esset confirmatus. Exacuunt praemia industriam viresque addunt animo, languescunt, cum vel pretium non adest, aut plane perit. Vita egenorum cum piis sustentatur legatis, fames depellitur & egestas, bona e contrario voluntas ac fiducia optimorum ingeniorum corroboratur, spes inde ingens & ampla enascitur novorum in patriam redundantium commodorum. Hic ipse thesaurus est, quem ex gloriosissimi Servatoris nostri sententia foenoris loco tum sibi tum aliis colligunt largientes pie & legato beneficia constituentes. Facile esset & in proclivi admodum optimo rerum omnium conditori & Conservatori prospicere egenis de necessariis alimentis; atque cum non minoris aestimantur homines, utut tenues & miseri, ac lilia & passeres, contemptissimae sortis aves, cur diffiderent illi divinae virtuti capacissimae ad nihil non abundantissime elargiendum. Ac utinam tum esset virtutis expromendae locus? ubi occasio egregiae mentis declarandae? nec tum exi-

stere

ſteret vel liberalitas vel paupertas & amor, in quo ſumma humani pariter officii & Chriſtiani abſolvitur, in otio langueſceret ac prorſus non eſſet. Vbi iam piorum legatorum ſubſidio expugnatur paupertas, coetus ſanctioris res fulciantur, Doctores ibi in offinis virtutum & ſcientiarum nutriuntur, adiumenta parantur praeclara iuventutis recte inſtituendae, haut ſanctius profecto munus eſſe poteſt & magnificentius, nec largius aliunde foenus, quantum ego quidem video, unquam expectari. Quicquid ſic ab optimis cuditur ingeniis aut proficitur, fructus rationem habet, qui ad illam non perveniſſet maturitatem ſine tam egregia & benefica cultura. Indigentia omnium extitit artium genitrix, eſt & altrix, quas ſaepe vel peſſundat, vel corrumpit luxuria. Fallor? annon maiora ſcientiis dederint incrementa homines fortuna tenues, ingenio tamen valentes & magni, quam opibus ac copia omnium rerum affluentes. Hi enim utplurimum dediti ſunt luxui & ambitioni, ignavia praeterea torpentes aut laboris impatientes: in illis autem igneus ardor, obſtetricante egeſtate, ad lucem & ad meliorem ſortem ſe emergere paulatim & eluctari tentat. Alitur haec vis, cum propriis deſtituitur praeſidiis, vulgo aliorum, maximam autem quoad partem piis Maecenatum beneficiis, unde acquiſitis vitae & literarum tractandarum ſubſidiis latens virtus matureſcit atque in tantam ſegetem, tamque uberem uſuram & foenus abundatiſſimum abit. Vt nihil iam dicamus de eo foenore, quod in movendis aliis ad ſimile exemplum liberalitatis conſiſtit. Erat mos apud Romanos in anteriore aedium parte collocare maiorum imagines, ut contuiti has iuvenes in eandem virtutis viam arcana vi raperentur. Quin admoneri pie legantium exemplo alii poſſint & debeant, dubium non eſt, ut Deo, patriae, virtuti, exiſtimationi ac poſteritatis praecipue ſaluti ſatisfacere diſcant. Proinde hic faceſſere debent Suilii, infenſi tantae maiorum munificentiae, & qui obliquis oculis aliorum intuentur fortunam, tam laudabili benefactorum pietate confirmatam. Lolium, non ſeges boni foenoris eſt, quod in animis eiusmodi hominum creſcit, qui ideo flocci eos faciunt & vilipendunt, quorum vita piis legantium beneficiis utplurimū ſuſtentatur, ineptiſſime in numero mendicantium eos reputantes, ac, dum eleemoſynis vivere dicerentur, pro abiectae ſortis hominibus arroganter habentes. At illi mihi homines plane videntur neſcire, quid ſint eleemoſynae & miſericordiae opera. e) Vulgo enim illi, qui de bonis moribus praecipiunt, Doctores ſeptem numerant genera, quae ad corpus pertinent: utpote: Viſitare aegro-

tos,

tos, potare, cibare miseros, redimere captivos, contegere nudos, colligere dispersos & exules & condere tempore calamitatis. Sex vero sunt genera, quae referuntur ad animum: Consulere, informare, solari, condonare delicta, ferre opem & orare. Iam vos appello iudices, A. sapientissimi, censeatis quaeso, qui maiorem exercent misericordiam, annon illi, qui circa animos vel emendandos vel fulciendos doctrina & consilio occupantur, aut precibus adiuvant aliorum fortunam. Haec dum dico, A. videor mihi videre maximum illud foenus pia vestra cogitatione natum, quod eiusmodi est, ut in conservandis maiorum beneficiis dandisque votis ac benigna voluntate nobiscum conspirandum esse censeatis. Praecipue vero vos, P. C. obtestor, antiquorum benefactorum interpretes perpetuos & testes, custodes & vindices pristinae liberalitatis, vos, inquam, oro & obtestor, ne ab illa benevolentia, qua fuistis hactenus, ab exemplis piorum maiorum, ab sanctissima illa cura, quam fidelitati vestrae & prudentiae testatores pii commendarunt, unquam recedatis. Gratiae debentur vobis maximae, quod incumbitis sedulo in eam rem, ne illa maiorum beneficia legatis sancita vel eripiantur Musis, vel iusto foenore & fructu intercipiantur. Faustum hodie auspicium est, quo factum, ut vobis Triumviris maxime, *f*) Praesides benignissimi, Civitatis, Scholarum & aerarii publici, obstrictas se Musae fateantur, tum vestra voluntate & cura quod factum, ut Patronis omnibus simul & maioribus nostris munificis publice audeam hodie gratias referre. Video non minori iam Vos, P. C. velle indulgentia esse in vindicandis beneficiis, quam maiores vestri in dandis illis illustres extiterunt. Krivesianum, Mochingerianum aut Hendrichianum animum, cum sanguine ab illis tractum non despero in Vobis, saltim illa, quae tum fuerunt, sunt tempora Civitati, patriae, curiae, aerario & negotiantium civium operis optanda, quae quoque, imo votis nostris meliora nunquam, prout decet ac par est, desinam *precari*. Tibi vero Krivesi benignissime, Tibi, Mochingere optime, Tibi, Hendrichi munificentissime, Tibi, Brückmanne benevole, quorum benignitate Musae quotannis fulciuntur non parum & recreantur, gratias agimus immortales. Ademit vestra felicitas nobis refundendi facultatem, quando nihil apud Deum deest vobis, omne nobis, quod referamus, nisi illud tantum foenus, ut nomina vestra ac recordationem tantae bonitatis, quantum in nobis erit vocis & vitae, mandemus aeternitati. Sit memoria vestra in benedictione! Veneramur vestros cineres, famam,

me-

merita, virtutem ac benefaciendi studium: praedicabimus in Scholas munificentiam, quamdiu nostrorum hominum genus erit, quamdiu haec stabit pietatis & scientiarum officina, quamdiu vigebunt beneficia vestra: Nostrum porro erit, non committere, ut culpa nostra aut temere illa tantorum meritorum gloria, illud virtutis vestrae decus, tam illustris munificentiae exemplum, tandemque spirans ac iucunda nominum vestrorum memoria apud Musas Thorunenses unquam intermoriatur. dixi.

---

a) Conradus Thamnitius, Prof. Gymn. Thorun. in *Oratione* anno 1653. habita, *de caussis, cur Literatis bene esse debeat*, in memoriam Evergetae munificentiss. Godofr. Krives.

b) Digna sunt lectu verba IOACHIMI HILDEBRANDI, quae attulit in Libro de *Oblationibus Veterum*. Cap. III. §. 2. ubi etiam sobrie benefactorum praemia in coelis exponit.

c) Iuxta illud: *quod non capit Christus, rapit fiscus.* Wir erfahren wohl zwar in dieser Zeit, daß etliche Fürsten mild und wohltätig sind, die gerne geben, waß sie nur geben können. Und sind doch gleichwohl in diesen und andern Landen viel Harpyiae, Raubvögel, nemlich die Amptleute und Schösser, die so neidisch und böse sind, daß du kümmerlich aus ihren Händen mit grosser Mühe und Arbeit erlangen kanst, was der Fürst mit seiner milden Hand gegeben hat, die Kirchen-Diener damit zu unterhalten. Also leben wir stets vom Raube, nicht nach unser Lust und Begierde, sondern nach göttl. Gnade und Mildigkeit, der solchen Raub wunderlicher weise aus den Händen der Raub-Vögel reißt, auf daß die Kirchen und Schulen mögen erhalten werden, und daß die Diener derselbigen nicht gar verschmachten und hungers sterben, . . . Es sind Lebeniten die sich bedüncken lassen, daß die Pfarhern und Kirchen-Diener nicht werth sind, daß sie auch eine Stunde oder zwo leben, oder ein Bissen Brods essen solten, und daß sie von den Pfarherrn nicht mehr halten, daß hat sie kein heel, sondern sie sagen öffentlich, man könne in Dörffern und Städten keine Säu und Schaaf-Hirten, oder auch keines Büttels Stadtknecht entrahten, aber eines Pfarrers und Schulmeisters dürffte man gar nichts. Derhalben werden itziger Zeit viel fromme Männer von solchen Harpyis und Raub-Vögeln fast hart geplaget und betrübet. Und sie können offtmahls ihre Besoldung nicht ohne grosse Mühe und Arbeit von

denen

denen bringen und erlangen, die dazu bestellet sind, daß sie die Kirchen-Güter einnehmen, dieweil ihn dieselbigen auch das ungern geben, das sie doch nicht angegeben haben. conf. B. Luther. ad Gen. XXXI. 16. Tom. IX. Altenb.

d.) Praeclare in hanc rem disserit illustris ICtus & Consiliarius Saxon. Dn. DE BERGER in diss. anno 1704. *de Liberalitate necessaria s. de donatione, ad quam iure obligamur*, & quidem *a*) iure naturali *b*) iure civili *c*) iure publico, quorsum etiam refert Stipendia, affirmatque quod Principes Protestantes in academiis obligatione perfecta teneantur conservare, siquidem illa non ex propriis Principum sumptibus, sed ex bonis Ecclesiasticis orta sint. Quorsum etiam pertinet MARTINI scriptum *de sumptibus pietatis causa factis*, itemque Tr. cui tit. drey Geist- und Lehrreiche Bedencken wie das heutige zerfallene Christenthum zu verbeßern A. 1693. 4to ed. cap. VI. vom Gebrauch der geistl. Güter. Ex quibus facile responderi potest scriptori, sub larva & nomine Francisci Xaverii delirescenti in Tr. Theologisch-Politisch Bedencken, was von geistl. Stifftungen und piis causis zu halten. Frivola sane multa sunt & exigua pietatis specie allata, & cum tantum non omnia libidini & arbitrio supremae potestatis subiiciat adulatorie, mirum, cur non & coelum ipsum. Saniora & quae confutationis loco esse possunt, commendanda sunt compendii causa ex IO. ABR. KROMAYERI *Commentat. Theol. de Potestate Ecclesiastica, quam vocant, externa. Prolegom. cap. I. II. & sect. II. Part post. c. 2. p. 148. 149. quae ex Heideggero & Antenore s. Schuppio* in Salomone adduxit. Conf. BRVNNEM. *in Iure Eccles. cap. XII. de ultimis volunt.*

e) BALDVIN. *in Cas. Conscient. Lib. IV. 17. Cas. 12. 13-15. &c.*

f) Praesides illi sunt viri munerum splendore & meritis nobiles Dn. Gerardus Thomas, Praec. & *Civitatis P.* Dn. Godofr. Roesnerus, Praec. & Proto-Scholarchae, Dn. Iacobus Meisnerus, Consul & Camerarius primarius s. aerarii Praeses, quibus vitam & gratiam omnem Dei apprecamur. Quando etiam primo Godofredo, datore, illud beneficium constitit, altero vero iam Musarum Praeside restitutum diem hunc Godofredi laetum felicemque iubemus ei esse, sideatque idem & ipsi, familiae & omnibus, qui eiusdem cura & patrocinio fruuntur, perauspicatus saepe & salutaris.

F I N I S.